



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

VII. V. valeat Absolutio Sacramentalis Sacerdotis ad remissionem peccatorum, ita, vt sit actus verè & realiter etia[m] praestans realem Absolutionem, vel vt declaret duntaxat, poenitentem iam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Cap. V. De Effectibus & utilitate

piatur, & accepto à Sacerdote salutari consilio, ad ea poenitentiae satisfactionis opera peragenda se accingat, quae illum ab aeterna liberent damnatione, & in coelestem patriam aeterna cum felicitate recipiant.

Quaestio VII. Valétne Absolutio Sacramentalis Sacerdotis ad remissionem peccatorum, ita ut sit actus verè, & realiter iudicialis, verè, & realiter etiam praestans realem Absolutionem, vel ut declaret duntaxat, poenitentem iam absolutum?

Respōsio. Absolutionem Sacramentalem esse proprii nominis actum iudicum, id efficientem in poenitente, quod verba designant; nisi aliunde impediatur certissima fide credendum est. Cuius rei locupletissimum extat testimonium in Concilio Tridentino, in Sessio. 14. cap. 9. haec verba: Si quis dixerit Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudiciale; sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti, modò tamen credat se esse absolutum, aut Sacerdos non serio, sed ioco absoluat, Anathema sit. Vnde colligitur in Absolutione poenitenti non solum remitti partem poenae debitae pro peccatis, & iam iustificatis augeri gratiam; sed & nonnunquam primam

primam gratiam per eam conferri, & accedentem peccatorem ad ipsam, ex iniusto fieri iustum; ex inimico amicum; & ex ingrato, & exoso, atque ad poenas æternas destinato, gratum DEO, & ipsius filium, & hæredem bonorum æternorum.

Quibusnam locis Scripturæ & rationibus realis hæc peccatorum Remissio, quæ fit per Sacerdotes, probatur?

*Quæstio
VIII.*

EX plurimis aliqua adducam.

PRIMO, non est dubium, quin Absolutio Sacerdotum verè præstet realem Absolutionem à peccatis; quia Christus dixit Apostolis: Quorum remisseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Habent igitur Sacerdotes potestatem remittendi peccata lethalia, & iustificandi peccatores; & aliquando verum est, eos remittere exitialia peccata, & ipsa à Deo retineri, quia retinentur, & nō remittuntur à Sacerdotibus. Non enim verè, & propriè remittuntur peccatoribus peccata, nisi, cum primò iustificentur, & ex peccatoribus, & DEO inimicis, iusti, & amici ipsius sunt. Et cum dicit: Quorum remisseritis, remittuntur; vel cum pollicitus est eis: Quæcunque solueritis, soluta erunt; satis indicavit, non esse prius aut soluenda, aut remittenda,

Responsio.

Ioan. 20.

Matt. 16.